



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

2. Quomodo se habeant ad inuicem species subiicibilis & prædicabilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

prædicabile, quæ est vniuersale distinctæ rationis à genere, sufficenter colligitur quod intellexit prædicabilitatem aliquam de indiuiduis, quæ non competit generi; hæc autem est prædicabilitas talis, vt non possit species de aliis quam de indiuiduis prædicari, quod est intentum.

Et hinc etiam potest colligi quod prædicetur species, tanquam quid immediate contractum, & tanquam tota essentia, quia si mediate contraheretur, hoc est median- tibus aliis differentiis essentialibus, posset prædicari de aliis quam de numero differentiis non minus quàm genus, & sic esset genus & non species prædicabilis. Rursum si prædicaretur in quid vt pars essentia determinabilis, tunc non contraheretur ad indiuidua immediate, sed prius contraheretur per partem essentia determinatiuam.

12. *Obiicitur secundo:* species subalternæ seu intermediæ, quæ scilicet collocantur inter genus generalissimum & speciem infimam, sunt vere species & quidem prædicabiles, quia vere prædicantur de pluribus: sed tamen non conuenit ipsis hæc definitio, quandoquidem non solum prædicari possint de numero differentiis, sed etiam de specie differentiis; ergo non bene explicat prædicta definitio speciem prædicabilem.

Respondetur distinguendo maiorem: sunt species prædicabiles, prout species prædicabilis est vniuersale distinctæ rationis à genere, nego maiorem; prout species prædicabilis dicitur illud, quod subiicitur generi, & quod potest vterius prædicari in quid aliqua ratione, concedo maiorem & minorem, & distinguo consequens: non bene explicat prædicta definitio speciem prædicabilem, hoc est illud vniuersale, quod habet distinctam prædicabilitatem in quid à prædicabilitate generis, nego consequentiam: speciem prædicabilem alio modo acceptam, concedo consequentiam. Itaque breuiter hic aduertendum speciem prædicabilem posse capi dupliciter: primo pro omni illo quod est species, & vterius prædicabile in quid; secundo pro omni illo vniuersali, quod est prædicabile in quid modo in prædicta definitione explicari; & hoc modo capimus hic speciem prædicabilem, non primo modo.

13. *Obiicitur tertio:* Anima rationalis est prædicabilis in quid complete de hac & illa anima rationali, quæ sunt numero tantum distinctæ: sed non est species prædicabilis: ergo male definitur species prædicabilis. Probatur minor, quia omnis species substantialis prædicabilis ponitur directe in prædicamento substantia: anima autem sic in eo non ponitur, quandoquidem sit quid incompletum physice. Simile argumentum potest fieri contra definitionem generis de anima vt sic, respectu animæ rationalis & animæ sensitivæ tantum: nam est prædicabile de ipsis in quid incomplete, & tamen non est genus, quia non ponitur directe in prædicamento substantia, sicut nec anima vlla, propter rationem dictam.

Respondetur breuiter, si per genera & species hic definita intelligantur entia completa, animam vt sic non esse genus respectu diuersarum specie animarum, nec animam rationalem esse speciem respectu huius & illius animæ rationalis: excluduntur autem à prædictis definitionibus per ly quod, quod denotat ens completum physice: si verò non intelligantur sola entia completa, sed quæcunque quæ habent prædicabilitatem in quid, siue sint completa, siue incompleta physice, tum anima vt sic erit genus, & anima rationalis species; & neganda est minor obiectionis cum probatione. Perinde autem est, quo modo ex his explicentur prædictæ definitiones; verissimilius tamen est Porphyrium voluisse explicare tantum genera & species completas physice, quia voluit explicare illa, quæ ponuntur directe in prædicamentis.

QVÆSTIO II.

Quomodo se habeant ad inuicem species subiicibilis & prædicabilis.

14. **C**ertum est à parte rei omnem speciem prædicabilem esse etiam subiicibilem, quia nulla est, quæ non continetur sub genere aliquo: in quo conuenit cum aliqua alia re; & æque certum est quod omnis species subiicibilis non sit species prædicabilis prædicabilitate

definita in quæstione præcedenti, quia genera intermedia non sunt species prædicabiles, & tamen sunt subiicibiles, vnde in hoc sensu non necessarium concomitantur se inuicem: sed difficultas est, an species subiicibilis possit considerari vt talis, quin consideretur vt vniuersalis ac prædicabilis aliquo modo de pluribus: & an species prædicabilis possit considerari vt talis, quin consideretur vt subiicibilis. Quæ difficultas fortassis in re conuenit cum illa alia prædicabilitas aliqua seu vniuersalitas sit per se competens speciei subiicibili, quæ talis est: ita vt sit vel de essentia eius, vel proprietate ipsius: & an subiicibilitas sit ita competens speciei prædicabili, vt sit de essentia ipsius, vel proprietate eius.

Caiet hic, & Arauxo 3. Metaph. dicunt subiicibilitatem esse de essentia cuiuscunque speciei, & prædicabilitatem esse proprietatem eius, quæ subiicibilis est. *Toletus vero hic* dicit vtrumque respectum tam subiicibilitatis, quæ prædicabilitatis alicuius, esse proprietates cuiuscunque speciei emanantes ab ipsius essentia, quæ secundum ipsum consistit in aptitudine essendi in multis: & iuxta hoc patet quod concomitantur se inuicem prædicabilitas aliqua, & subiicibilitas in quacunque specie prædicabili & subiicibili, etiam quæ talia formaliter, sicut rationalitas & risibilitas, aut sicut risibilitas & admiratiuitas concomitantur se in quocunque homine quæ homo.

Communior sententia est subiicibilitatem & prædicabilitatem non se habere ad omnem speciem, aut subiicibilem, aut prædicabilem, quæ talia sunt, hoc modo. Quæ sententia colligitur ex *Scoto 9. 2. 1. vniu.* & tenetur à Scottis omnibus, & Thomistis pluribus, quos sequuntur recentiores fere omnes.

CONCLUSIO I.

15. *Species subiicibilis, quæ talis formaliter non dicit vniuersalitate, nec prædicabilitatem, aut tanquam essentiale prædicatum, aut tanquam proprietatem, & potest optime intelligi sine vniuersalitate, aut prædicabilitate.* Hæc est conformis secundæ sententiæ contra primam. *Probat* autem, quia eo ipso quo animal includeret viuens tanquam partem determinabilem per sensitiuitatem, quamuis non esset aptum inesse multis, aut prædicari de multis, haberet rationem speciei subiicibilis, & non haberet vniuersalitatem, aut prædicabilitatem vllam, & consequenter eo ipso, quo consideraretur vt sic, consideraretur vt species subiicibilis, & non consideraretur vt vniuersalis, aut prædicabilis; ergo nec prædicabilitas nec vniuersalitas est de essentia speciei subiicibilis; nec ad cognitionem speciei subiicibilis, quæ talis, requiritur earum cognitio.

Quod etiam nec vniuersalitas nec prædicabilitas sit proprietas speciei subiicibilis quæ talis, probatur, tum quia non est potior ratio eui vniuersalitas, aut prædicabilitas essent proprietates subiicibilitatis, quam subiicibilitas sit proprietas eorum, aut alicuius ex illis: tum etiam quia ex prædicabilitate, aut vniuersalitate non potest inferri per vllum discursum subiicibilitas: sed posset, si esset proprietas eorum: ergo non est proprietas eorum.

Confirmatur hoc, quia si natura Michaelis esset incommunicabilis, vt putant Thomistæ, nulla esset ratio eui non habeat rationem speciei subiicibilis respectu generis, in quo conueniret Michael cum Gabriele: ergo vniuersalitas & prædicabilitas per accidens omnino se habent ad speciem subiicibilem, quæ talis est.

16. Verum quidem est, si species, respectu cuius dicitur genus habere rationem generis, deberet esse vniuersale formaliter, quod etiam species subiicibilis, quæ talis deberet esse vniuersalis, ac consequenter prædicabilis de multis; quia species subiicibilis est illa formaliter, per ordinem ad quam definitur genus, & ex cuius cognitione dependet cognitio generis: vnde si non posset cognosci, quod aliquid esset genus, nisi cognosceretur quod esset prædicabile de aliquo, quod esset vniuersale, sequitur quod non posset cognosci aliquid esse species subiicibilis, quin cognosceretur esse vniuersale, & consequenter quod subiicibilitas speciei exigat necessarium ex ratione sua vniuersalitatem, non tamen tanquam prædicatum esset

Sensus quæstionis.

Species subiicibilis vt sic, non dicit vniuersalitate aut prædicabilitate.

essentiale, aut proprietatem, sed potius tanquam rationem fundandi.

Obiicies pro Auerſa, qui oppositum huius conclusionis tenet: Individuum est subiicibile etiam generi, & tamen non est species subiicibilis: sed huius non est alia ratio, quam quod non sit vniuersale: ergo species subiicibilis dicit vniuersalitatem necessariò, quamuis ipsamet subiicibilitas non dicat vniuersalitatem.

Respondeo negando minorem: sed ideo non vocatur species subiicibilis, quia non subiicitur generi immediate a parte rei, sicut subiicitur quæcunque res, quæ vocatur subiicibilis species.

CONCLUSIO II.

Species
prædica-
bilis non
exigit
subiici-
bilitatē.

17. *Species prædicabilis, quæ talis, non exigit subiicibilitatem, nec tanquam proprietatem, nec tanquam prædicatū essentiale, nec tanquam rationem fundandi, & potest optime intelligi absque subiicibilitate.* Hæc etiam est ex mente authorum secundæ sententiæ contra primam.

Probatur, quia eo ipso, quo homo esset tota essentia Petri & Pauli, quamuis per impossibile vel possibile non haberet sub se vllū genus, esset species prædicabilis, quia esset prædicabile de pluribus numero tantum differentibus in quid immediate & complete; & eo ipso, quo intelligeretur ut sic (sicut potest optime intelligi) intelligeretur sub ratione speciei prædicabilis sine eo, quod intelligeretur ut subiicibilis: ergo non habet subiicibilitatem tanquam proprietatem, aut prædicatum essentiale aut rationem fundandi, & potest intelligi ut prædicabilis quin intelligatur ut subiicibilis.

18. *Confirmatur*, quia nulla prorsus est ratio, cur species prædicabilis, ut talis, exigeret subiicibilitatem vllō ex prædictis modis.

Dices esse rationem hanc, nimirum quod nulla sit species prædicabilis, quæ non sit subiicibilis.

Contra, quia hoc non arguit, quod ut prædicabilis formaliter exigit subiicibilitatem: bene enim respectus appetitinales diuersi possunt competere rei abique eo quod vna formaliter exigit ex se vllō modo alteram, & in tali casu haberent a parte rei necessariam connexionem, non vero ex ratione suæ formali, sed ex natura rei, in qua reperirentur.

19. *Confirmatur secundò*, quia non est potior ratio, cur prædicabilitas exigeret subiicibilitatem vllō ex prædictis modis potius, quam subiicibilitas prædicabilitatem: ergo non est dicendum quod eam sic exigit.

19. *Obiicies pro Auerſa*, qui videtur tenere oppositum huius conclusionis: genus generalissimum non dicitur species prædicabilis, licet prædicetur de pluribus, animal vero dicitur species prædicabilis: sed hoc non ob aliam rationem, nisi quia prædicabilitas speciei exigit pro fundamento, aut connotato aliquo modo subiicibilitatem generi, quam habet animal, & non habet substantia & sic, quæ est genus generalissimum, supra quod non est aliud genus, cui subiicitur: ergo species prædicabilis, ut talis, exigit ex se aliquo modo subiicibilitatem.

Respondeo distinguendo maiorem pro secunda parte: dicitur species prædicabilis, prout species prædicabilis est illa, quæ prædicatur in quid complete aut immediate de pluribus numero tantū distinctis, & pro ut nos hic accipimus speciem prædicabilem, nego maiore pro illa parte: dicitur species prædicabilis, id est dicitur species, quæ potest prædicari de multis, concedo maiorem. Similiter distinguo minorem: sed non est alia ratio, cur animal dicatur species, quæ possit prædicari, nisi quia est subiicibilis, transeat minor; sed non est alia ratio cur dicatur species prædicabilis, prout hic agimus de specie prædicabili, nego suppositum, nempe quod dicatur aut sit talis. Distinguo denique consequens: ergo species prædicabilis alio modo, quam prout hic agimus de specie prædicabili, exigit subiicibilitatem, transeat consequentia: ergo species prædicabilis, prout hic de ea agimus, exigit subiicibilitatem ex se, nego consequentiam. Itaque fateor quod omne illud, quod dicitur species, & est prædicabile, non tamē sicut species infima, quæ simpliciter vocatur species prædicabilis, exigit subiicibili-

tatem, imo constituitur formaliter in esse speciei per illam subiicibilitatem, propterea enim vocatur species, non quia est prædicabilis, sed quia est subiicibilis. Quod autem quod est species prædicabilis, prout definitur species prædicabilis hic a Porphyrio, non exigit per se subiicibilitatem.

20. Ex his patet, quod si sequatur aliquis respectus rationis in specie subiicibili, quando consideratur ut aliud, in quo includitur genus, aut in specie prædicabili, quando consideratur ut inclusum in indiuiduis immediate, & si constituitur utraque species tā subiicibilis quā prædicabilis, logicè & secundò intentionaliter sumpta, per illos respectus rationis, quod species subiicibilis logica & secundò intentionaliter sumpta distinguatur realiter à specie prædicabili logica & secundò intentionaliter sumpta eo modo, quo potest distinctio realis dari inter entia rationis, quia bene potest fieri vnus ex illis respectibus sine eo, quod alter fiat, sicut potest dari consideratio, ad quam sequitur vnus ex illis absque consideratione, ad quam sequitur alter, ut patet ex dictis.

21. *Quæres*, utrum possit dari ratio speciei prædicabilis abique vniuersalitate. *Respondeo* certū esse quod si capiatur species prædicabilis pro illa re, quæ est prædicabilis de aliquo per modum totius essentia, speciem prædicabilem, ut sic, non exigere vniuersalitatem, aut prædicabilitatem de multis: & licet de facto omne creatum sic prædicabile sit etiam vniuersale ac prædicabile de multis, tamen id per accidens est ad prædicabilitatem per modum totius essentia. Ratio est, quia si humanitas non esset communicabilis vlli, nisi Petro, sicut dicunt Thomistæ naturam Gabrielis non esse vlli alteri communicabilem, adhuc esset tota essentia Petri, sicut natura Gabrielis est tota essentia Gabrielis, & considerata ut talis, posset ut talis de Petro prædicari.

Confirmatur, quia nulla est ratio, cur prædicabilitas per modum totius essentia exigeret ex se formaliter prædicabilitatem de pluribus, aut vniuersalitatem, siue tanquam proprietatem, siue tanquam prædicatum essentiale, siue tanquam rationem fundandi.

Si vero capiatur species prædicabilis, ut definita est à Porphyrio, sine dubio exigit vniuersalitatem & prædicabilitatem de pluribus, imo per hanc constituitur in esse talis, ut patet ex definitione eius; nec in hoc potest esse controuersia.

22. Sed bene est controuersia, an hæc vniuersalitas, aut prædicabilitas de pluribus debeat esse talis, ut possit natura, quæ est species prædicabilis, prædicari de multis, in quibus vere & realiter existit, aut possit existere; an verò sufficiat quod per intellectum possit apprehendi in multis, & quod natura quantum est ex se & conceptu suo formali non dicat repugnantiam ad esse realiter in multis; licet ex aliis principiis id ipsi repugnaret: *Thomistæ* tenent hoc secundum sufficere, & propterea dicunt naturam Gabrielis, licet secundum ipsos de potentia Dei absoluta nequeat esse in pluribus indiuiduis, esse tamen speciem prædicabilem, etiam secundum quod species prædicabilis definitur à Porphyrio, quia scilicet non ex conceptu suo formali, neque ex aliqua proprietate reperta in illo conceptu ipsi id repugnat, unde potest dici quod quantum est ex se, & ratione sua formali, sit prædicabilis de multis numero differentibus; quod sufficit secundum ipsos ad rationem speciei prædicabilis, prout definita est à Porphyrio, licet repugnet ipsi ex aliis principiis reperiri in multis, nimirum ex eo quod careat materia, quæ est principium multiplicationis numerica.

Scotistæ verò & recentiores communiter tenent oppositum, & negant vllam rem habere posse rationem speciei prædicabilis, ut hæc definita est à Porphyrio, quæ a parte rei non sit multiplicabilis numero, & apta inesse ac prædicari de multis per intellectum.

23. Verum de hac controuersia egimus supra *disp. 3. qu. quarta*, de vniuersali *num. 53.* ubi probauimus hanc secundam sententiam. Hic tamen in gratiam veritatis adiungere libuit, si daretur aliqua natura completa implu

An ratio
speciei
prædica-
bilis in-
uoluatur
vniuersa-
litate.

An species
prædica-
bilis
debeat
posse ef-
fe vere
& reali-
ter in
multis.

Senten-
tia Tho-
mistarū.

Senten-
tia Tho-
mistarū.

Resolu-
tio con-
trouer-
sæ.

imultiplicabilis realiter, cui tamen ex sua ratione formali non repugnat multiplicari, secundum quod conciperetur, ut distincta ab omnibus naturis diuersa rationis, siue perfectè siue imperfectè, illam naturam posse dici esse, quantum est ex sua ratione formali sic concepta, prædicabilem de multis in quid complete; atque adeo si hoc sufficeret ad speciem prædicabilem, veram esse sententiam Thomistarum, quæ tamen sententia non placet absolutè & simpliciter propter duas potissimè rationes.

Prima est, quod gratis dicat sufficere ad speciem prædicabilem, ut descripta est à Porphyrio, huiusmodi prædicabilitatem quantum est ex se: nam cum Porphyrius dicat speciem prædicabilem esse prædicabilem de multis absolutè & simpliciter, & sine illa restrictione, & cum posuerit exemplum de specie, quæ absolutè & simpliciter est sic prædicabilis; perfectè gratis dicitur voluisse comprehendere sub sua definitione naturas, quæ non essent multiplicabiles, nec prædicabiles de multis, nisi cum tali restrictione.

24 Secunda ratio est, quod omnis natura, quæ est imultiplicabilis realiter, habet hoc ex ratione sua formali, vel per se primo, vel tanquam quid consequens necessariò ad rationem suam formalem: ergo falsum est, quod de facto detur aliqua natura realiter imultiplicabilis, quæ sit species prædicabilis, etiam in sensu prædicto Thomistarum. Probatur antecedens, quia omnis natura, quæ est talis, vel habet esse talis ex ratione sua essentiali specifica, vel ex proprietate consequente ad essentiam specificam, vel ex indiuidualitate: non ex indiuidualitate seu hæcitate, quia hæcitas in omnibus est eiusdem rationis; vnde si faceret hæcitas aliqua vnā naturam realiter imultiplicabilem, omnis hæcitas faceret naturam, quam afficit, imultiplicabilem numero ita, ut nulla natura hæcitate posset multiplicari numero, etiam specificatiue loquendo, quod est absurdum & contra experientiam de multiplicatione numerica humanæ naturæ ac aliarum rerum materialium, quæ non obstante quod afficiantur hæcitatibus, multiplicantur numero; ergo natura imultiplicabilis numero habet esse talis ex ratione specifica, aut proprietate sequenti. Subsumo: sed si habet hoc ratione sua formali specifica, ergo falsum est quod quantum est ex ratione sua possit multiplicari. Si etiam ex proprietate consequenti, ergo quandoquidem omnis proprietas præsupponat rationem essentialem, ad quam sequitur ex vi ipsius, adhuc sequitur quod ex ratione specifica & formali repugnet ipsi saltem radicaliter multiplicabilitas, sicut ex ratione rationalitatis repugnat homini proprietates brutalitatis.

Confirmatur hoc: quia ex ratione spiritualitatis repugnat essentia Gabriëlis, verbi gratia multiplicatio numerica, quia ex illa ratione repugnat ipsi materia, quæ est principium multiplicationis numerice secundum ipsos: sed spiritualitas est de essentia Gabriëlis, & per eam distinguitur per se primo à materialibus substantiis: ergo ex ratione sua formali repugnat ipsi multiplicationi numerice, si repugnat ipsi villo modo. Si vero dicatur quod repugnat ipsi ex sua ratione formali perfectè concepta, non tamen imperfectè concepta, tum instandum est exemplis præmissis supra disputat. *quarta*, de essentia Dei & specie infima, ad ostendendum quod id non sufficiat ad speciem prædicabilem Porphyrianam. In rei tamen veritate credo tandem quæstionem esse de nomine.

QVÆSTIO III.

Virum omnes species diuersæ habeant necessario inaequalem perfectionem.

25 Quamuis hæc quæstio verè non spectet ad Logicam, & specialiter ad hunc locum, ubi agitur de speciebus, ut prædicabilibus & subiectibilibus, ad quam considerationem earum perinde est, an sint inæqualis vel æqualis perfectionis, nam eodem modo brutum & homo subiciuntur generi, & eodem modo prædicantur de suis inferioribus, siue sint, siue non sint æqualis perfectionis, ut patet; tamen quia supponitur communiter, quod omnes res specie distinctæ habent inaequalem

perfectionem ita, ut qualibet sit quacumque altera vel perfectior vel imperfectior, & nullæ duæ sint æqualis perfectionis; & quia non occurrit alibi locus opportunior ubi tractetur; quid nobis apparet hic proponemus, quod & ante fecit *Auerſa* hoc ipso loco. Loquimur autem de speciebus primò intentionaliter sumptis, hoc est de naturis diuersæ rationis, ac diuersarum operationum aut effectuum.

CONCLUSIO I.

26 Certum est aliquas species diuersas esse inæqualis perfectionis ita, ut una ex ipsis sit simpliciter perfectior altera, & probabile est id esse verum de omnibus speciebus diuersis. *Prima pars* est extra controuersiam, & patet, quia sine dubio species humana est perfectior simpliciter, quam bouina aut equina, & intellectiones ac habitus virtutum sunt perfectiores quam albedo ac nigredo: ergo aliquæ species diuersæ sunt inæqualis perfectionis.

Secunda pars est communis omnium antiquorum, & ex professo *Soncina* 12. *Met. quæst. 4. Fonseca* 5. *Met. c. 28. quæst. 16. Suarez disp. 29. Met. sect. 13.* & sane horum auctoritati potissimum innititur.

Confirmatur præterea, quia non repugnat dari huiusmodi inæqualitatem in omnibus speciebus distinctis, & non est vlla ratio, quæ conuincat eam non dari de facto: ergo quandoquidem Philosophi communiter dicant ita esse, probabile censendum est quod ita sit.

CONCLUSIO II.

27 Non est certum quin dentur aliquæ species distinctæ æqualis perfectionis ita, ut neutra ex ipsis sit altera simpliciter perfectior aut imperfectior. Hæc est *Auerſa* supra, & fortassis hoc modo proposita non est contra Doctores communiter: quia licet dicant absolutè & simpliciter species omnes esse inæqualis perfectionis, non tamen dicunt id esse certum. Solus *Soncina* videtur ita dicere, dum putat se demonstrare oppositum. *Probatur conclusio*, quia nulla potest afferri ratio, ob quam certo constet omnes species debere esse inæqualis perfectionis: nam quod non implicat omnes esse tales non sufficit, quia etiam non implicat quod aliquæ ex illis sint æqualis perfectionis; vnde ex non implicancia non colligitur certo nec vna, nec altera pars huius controuersie.

Probatur secundo, quia si esset aliqua ratio, vnde colligeretur certo quod omnes species diuersæ debeant esse inæqualis perfectionis; maximè ex eo, quod essent diuersæ speciei: sed hæc ratio nihil probat, ergo. Probatur minor, quia bene potest aliquis habere conceptum de aliquibus rebus, verbi gratia de albedine, & dulcedine, quod sint diuersæ rationis ob dissimilitudinem maximam, quam habent, & tamen ignorare vtra altera sit perfectior; & sanè de facto non colligitur hominem esse perfectiorem equo ex eo, quod sit diuersæ speciei ab illo, quia hoc principium non magis probaret hominem esse perfectiorem quam equum, cum alter ab altero sit æquè distinctæ speciei; ergo ex diuersitate specifica non colligitur inæqualitas perfectionis.

Dices non colligi quidem hanc inæqualitatem determinatè ex diuersitate specifica ita, ut possit colligi ex illa, quænam ex speciebus determinatè sit perfectior; colligi tamen ex eo, quod aliqua ex illis indeterminatè sit altera perfectior, quod sufficit ad impugnandum conclusionem.

Contra, quia bene potest quis habere conceptum de diuersitate specifica rerum, nullo modo considerando aliquid de perfectione earum, nec est ex terminis euidentibus quod, quæ sunt diuersæ speciei, debeant esse inæqualis perfectionis, nec potest afferri vllus discursus, quo probetur: ergo non sufficit diuersitas specifica ad colligendum inæqualitatem perfectionis, etiam indeterminatè.

Confirmatur hoc per solutiones obiectionum, quia in his proponuntur discursus, quibus probari solet, quod ex diuersitate specifica colligatur inæqualitas specifica saltem indeterminatè.